



Georgius apud Vuirtenbergicos ex nobili fa-  
milia Hochenheimiorū (qui Bombasti co-  
gnominantur) natus est anno 1500. Is cum à parēti  
bus in omni genere uirtutum & literarum cum fra-  
tribus educatus esset, ad Maximiliani Cæsaris cu-  
riam peruenit, & inter Cubiculi pueros receptus  
fuit. adolescenter factus armorū studia dilexit,  
atq; sub Carolo Geldriæ duce prima stipendia me-  
ruit. postea quoq; Francisco Galliarū regi in bellis  
Italicis & Belgicis adfuit, & magnā rei bellicæ pe-  
ritiam sibi comparauit. Itaq; in patriam reuerfus,  
cum rusticorū tumultus passim esset excitatus 1525,  
Ernestus Marchio Badensis ei Hochburgensem

munitissimam Brisgaudie arcem commendauit, atq; eius opera & consilio u-  
sus, eas turbas sine fanguinis effusione compescuit. Postea quoq; huius soro-  
rem uxorem duxit, & eam familiam plurimū extulit. Pace autem recuperata  
Georgius contra Christiani nominis hostes arma induere statuit, atq; Rho-  
diorum equitum ordinem Viterbij suscepit. Inde cum alijs in Melitā insulam  
profectus, in eo loco aliquandiu habitauit, atq; multa sua uirtutis documenta  
reliquit. Postea in Germaniam redijt, atq; huius ordinis ædes Sultzj, Colma-  
riæ, Dorleshemij, & Basileæ administrauit. quin etiam sui ordinis nomine in  
Vngariam militatum abiit, & turmæ equitum præfectus fuit. Cum itaq; ipse  
magna prudentia & rei miliaris peritia longo usu insignis eslet, à summo or-  
dinis Magistro Melitam reuocatur, & in ea insula Architeconicæ præficitur.  
Itaq; cum uideret Barbaros potentem hostem insulæ portum facile cum clas-  
se occupare posse, ad ingressum statim munitissimam illam arcem, quam S. Er-  
mo uocant, a fundamentis ædificauit, atq; 1550 primus ibi præfectus existens,  
eam multis propugnaculis & tormentis bellicis muniuit. idquod postea sa-  
pius ordinis summum præsidium extitit. Ab eo tempore, quo ordinem suscep-  
pit, subinde partium Cæsareanarum fuit, & aliquoties expeditionibus Caroli  
Imperatoris interfuit. Inde 1553 in Germaniam redijt, & commissarum ædium  
administrationem singulari dexteritate continuauit.